



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. De Simonia, quæ committitur circa divina officia, ac officium prædicationis, & an Ecclesia emi vel redimi possit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dit, vel emit pro pretio temporali, gratias spirituales, ut gratiam sanctificantem, gratias gratis datas, donum scilicet Prophetie, donum linguarum, sanitatis, vel aliorum miraculorum (sive deinde in concreto hæc talia emat, aut vendat; emendo v. g. cariore pretio rem aliquam temporalem, quæ pretiosa tamen est ob talem gratiam annexam; sive in abstracto talia vendat vel emat, emendo scilicet potestatem ministerialem talia conferendi, quod Simon Magus oblatâ Apostolis pecuniâ, obtinere voluit) qui emit vel vendit Sacramenta, Sacrificium Missæ &c. nisi extrema necessitas urgeat, contra eum, qui non vult gratis administrare hæc talia, non tam, ut ematur Sacramentum, quàm ut removeatur impedimentum pravæ voluntatis, & avaritiæ alterius. Et denique qui emit, aut vendit Sacramentalia, ritus scilicet aut ceremonias pro administratione Sacramentorum institutas, consecrationes, benedictiones, &c. temporale aliquid, ut pretium pro illis exigendo, aut dando, nisi præcisè in Sacramentalibus permanentibus materia, cui consecratio supervenit, pretio æstimabilis, ut talis vendatur.

§. II.

De Simonia, que committitur circa ordines, eorumque collationes & præsentationes ad ordines.

ETiam hæc emere, vel vendere esse juris divini Simoniam, ex dictis patet, cum sint actus quidem naturales, ex institutione tamen Christi ad ordinem & finem supernaturalem ordinati, &

principium insuper habent, ex quo procedunt, supernaturale, ita ut nec Episcopi, pro ordinibus conferendis, nec eorum ministri (saltem de jure Ecclesiastico) pro instrumentis, & literis deo per conficiendis, aut alij quicumque pro præsentatione ad ordines, quidem ex pacto possint exigere, & juxta Tridentinum pro his functionibus, uti & pro literis dimissorialibus concedendis, nihil gratis etiam oblatum, accipere, ad tollendam scilicet omnem avaritiæ sospensionem ab ordine Ecclesiastico, ut ait Trident. sess. 21. c. 1. de refer. ubi tenet etiam Notarij excipiuntur, quibus decima pars unius aurei pro singulis testimonialibus, aut dimissorialibus scribendis conceditur, in illis tamen locis, ubi laudabilis consuetudo, ut ait Concil., non viget, nihil accipiendi, & ubi certissimum salarium non habent pro officio suo exercendo.

§. III.

De Simonia, que committitur circa divina officia, ac officium prædicationis, & an Ecclesia eum vel redimi possit?

EMere hæc talia divina officia, ut sunt etiam orationes publicæ, publicæ processiones, Litanie publicæ, &c. officium prædicationis, vel exaltationis spiritualis, temporale aliquid pro his ut pretium, ex pacto dando, vel accipiendo, &c. Simonia juris divini est: sed non Ecclesia, aut jura illius emi dicto modo, aut redimi possunt absque Simonia vocata. *Querelam. 15. h. 2.*